

facies diocesium, inquit: « Mandamus, quatenus secundam divisiones, quæ per libros antiquos, vel alio modo melius probabuntur, non et testes, fama, et quæcumque administracula in negotio procedatis. » Ubi Glossa in. inde concludit: « Adminicula ergo, etsi per se non probent, tamen adjuvant. » c. *Per fas*. 32. de *Simonía*, etc. « Et sic est argumentum, quod quæ non prosunt singula, multa juvant. » Concordat textus in l. *Instrumenta*. C. de *Probatione*. ibi: « Si non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem sola non sufficiunt: » juncta l. II. § *Atas*. ff. de *Excusatione tutorum*. et Glossa ibid. § *Legitimis*, quæ ait, « quod duæ præsumptiones etiam probationem plenam faciunt cum aliis indiciis. » Accedit ratio, quia per plenam probationem intelligitur ea, quæ tantam fidem facit, quantum sufficit ad definiendas controversias: atqui tantam fidem faciunt plures semiplenæ probationes ad eundem finem tendentes, per jura proxime allegata; ergo.

100. *Dummodo duæ ille probationes semiplenæ tendant ad eundem finem.* — Additur notanter, « ad eundem finem tendentes. » Quia tunc solummodo duæ semiplenæ probationes possunt conjungi ad faciendam unam plenam probationem, quando tendunt ad eundem finem: sive dein sint ejusdem generis, ut duo testes contestes, de quibus non est dubium, quin faciant plenam probationem: sive diversi generis, ut puta, unus testis, et confessio facta absente parte; ut est casus in c. *Cum dilectus*, 3, de *Successionibus ab intestato*. Item unus testis, et fama publica, arg. cap. I. de *Appellat.* ac notant Abbas, et Bartolus, ubi supra. Aliud hujus exemplum habetur in c. *Accedens* 4. « Ut lite non contestata, » etc. et c. *Illud quoque* II, de *Præsumptione*. ubi ex pluribus conjecturis, seu semiplenis probationibus ad eundem finem tendentibus, una plena probatio constituitur, movens pontificem ad decisionem causæ tunc agitatæ.

101. *Alias secus.* — Secus est, quando duæ semiplenæ tendunt ad diversos fines: nam tunc non possunt jungi simul ad faciendam unam plenam, hoc ipso, quod non probent circa idem, sed solum circa diversa. Atque ita accidit in testibus singularibus, quales sunt illi, qui testantur super diversis factis: nam quia tales sunt in suis testimoniis singulares, et non nisi diversa probant, nunquam possunt facere unam plenam probatio-

nem; per jura in ratione dubitandi allegata, juncto can. *Nihilominus*. 3, q. 9, et Glossa fin. ibid. Simile quid habetur in l. un. c. *Qui numero tutelar.* ubi pariter dicitur, « quod imperfectæ diversæ species, licet præmixtæ, non proficiant, » seu non juvent ad faciendam unam perfectam excusationem tutorum.

102. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Atque per hoc patet ad rationes dubitandi, n. 98 allegatas. Quamquam ad can. *Quorundam*. dist. 23, specialiter dici possit, quod ibi sermo sit de Sacramentis, quæ non conficiuntur uno adhibente materiam, et altero formam; prout innuit textus ibidem.

103. *Verba narrativa, et enuntiativa, quæ.* — Quæritur IV. Quam vim probandi habeant verba narrativa litterarum apostolicarum? Ubi prænotandum, quod per « Verba narrativa » dicamur loqui, quando narramus factum aliquod, v. g. quod quis sit infamatus: prout accidit, si Papa dicat, « Multorum clamor ad nos pervenit, quod talis, » etc. referendo factum illud. At vero per « Verba enuntiativa » dicamur loqui, quando loquimur hoc modo: « Quia constat nobis talem esse infamatum, » etc. At has c. *Cum oporteat*. n. 7, de *Accusatione*; Mascardus, de *Probatione*. concl. 622, n. 1, et concl. 734, n. 33, post Petrum Duennas reg. 229, limit. 18, et alios. Quo prænotato

104. *Verba narrativa Papæ, proprium factum narrantis, plene probant, si super illis intentio ejus fundatur.* — Resp. I. Verba narrativa litterarum apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plene probant, si super illis gratia, vel intentio Papæ fundatur. Ita textus expressus in Clem. un. h. t. juncto summario, Glossa verb. *Litteris*, et doctoribus ibid. Atque adeo hoc procedit, ut assertio summi pontificis, attestantis de facto suo proprio faciat fidem plenissimam, ita ut nec probatio in contrarium admittatur; prout desumitur ex verbis cit. Clem. un. h. t. ibi: « Censem super sic narratis fidem plenariam adhibendam: » et nota Glossa verb. *Fecisse narramus*. et Abbas n. 3, et Barbosa in collectan. n. 3, et Mascardus, de *Probatione*. concl. 139, n. 1, citans alios.

105. *An contra hæc admittatur probatio in contrarium?* — Intellige tamen istud in tantum, quod contra assertionem Papæ de facto proprio attestantis, eique inhaerentis, non admittatur directe probatio in contrarium; hoc est, talis, quæ perimam narratio-

nem Papæ, seu ipsam falsam ostendat: potest enim bene aliquid probari indirecte in contrarium, hoc est tale, quod stante narratione pontificia debilitat vires ejus, et gratiæ desuper fundatæ; prout notat Glossa cit. verb. *Fecisse narramus*. et Mascardus d. concl. 139, n. 18, allegans alios, et Pirhing. h. t. n. 62. Atque hoc solet declarari exemplo per quam apto, et a Glossa loc. cit. relato. Nam si Papa in rescripto narret, quod renuntiatio v. g. Beneficii in manibus suis facta fuerit, et per ipsum acceptata, sicque illud conferat, vel conferri mandet alteri, factum istud directe non patitur probationem in contrarium; potest tamen indirecte impugnari, probando videlicet, quod tempore factæ per alterum resignationis in manus pontificias, beneficium illud ad me spectaverit, non vero ad renuntiantem; sicque resignatio illa non tenerit. Et idem dicendum de similibus, quæ narrationem Papæ directe non perimunt, seu (quod absit) non arguunt falsitatis, licet aliunde exhauriant vires ejus, ac gratiæ in ipsa fundatæ; prout amplius exemplificant doctores proxime relati, una cum aliis, quos citant.

106. *Ista procedunt tum in materia favorabili, quam odiosa.* — Ceterum data conclusio sic declarata, procedit non solum in favorabilibus, et gratiosis; puta, si papa narraverit se resignationem beneficii alicujus recepisse, vel quempiam fuisse suum capellanum, ac hujusmodi: sed etiam in pœnalibus, ac odiosis; ut si papa in litteris narret se quempiam excommunicasse, vel suspendisse. Sufficit enim, quod super his narratis intentio Papæ fundatur: ut quia mandat beneficium sibi resignatum cuiquam conferri; quia jubet contumacem citari, moneri, pœnari, vel capi, quem dicit se jam excommunicasse, vel suspendisse. Textus, et Glossa in cit. Clem. un. verb. *Intentio*. h. t.

107. *Quid, si intentio Papæ fundatur super facto alieno a se narrato?* — Resp. II. Quando intentio Papæ fundatur super facto alieno a se narrato, tunc narratio, sive assertio Papæ facit quidem plenam fidem, si nihil opponatur: admittitur tamen probatio in contrarium. Ita Glossa in cit. Clem. un. verb. *Fecisse narramus*. et Abbas ibid. n. 2; et Barbosa n. 6 et 7, h. t. citans alios; Pirhing. h. t. n. 61, et Mascardus cit. concl. 139, n. 21 et 22, cum pluribus aliis docens, quod attestationi Papæ de facto alieno statur, donec probetur contrarium. Ratio disparitatis inter

hunc, et casum prioris conclusionis est, quia in facto proprio non facile præsumitur error: in facto alieno autem, quamvis multum sit tribuendum auctoritati principis, seu Papæ attestantis, tamen contingit de facili ob malam aliorum informationem etiam ipsum errare, c. *Lator*. 7, de *Sentent. et re judicat.* et c. *A nobis*. 28, de *Sentent. excommunicat.* junctis concordantiis hic per Glossam, verb. *Opinionem sequitur*, allegatis; ac proinde merito relinquitur locus probationi in contrarium.

108. *Quando intentio Papæ super eis non fundatur, tunc verba narrativa litterarum apostolicarum nihil probant.* — Resp. III. Quod si intentio Papæ super eis non fundatur, tunc verba narrativa Papæ, seu litterarum apostolicarum nihil probant. Ita Glossa in cit. Clem. un. § *Fundatur*: et Abbas ibid. n. 1; Mascardus, cit. concl. 139, n. 23 et 24, allegans Rotam decis. 197, in antiq. *Nota, quod ubi Papa*, et alii, idque probatur, et declaratur inductione.

109. *Papa excommunicatum litteris salutans, non per hoc censetur eum absolvere, etiamsi scienter excommunicato sic participet, nisi aliud exprimat.* — Sic imprimis, quando Papa quempiam auctoritate apostolica excommunicatum suis litteris salutat, non per hoc censetur eum absolvere, c. *Si aliquando*, 41, de *Sentent. excommun.* Quia videlicet intentio Papæ, litteras illas dantis, super impetiente tali absolutione se non fundabat; « Cum (ut ibidem loquitur textus) per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem (tacendo videlicet, quod quis sit excommunicatus) contingat hujusmodi litteras impetrari. » Quæ ratio generaliter urget de cæteris verbis narrativis Papæ, in quibus intentio ejus non fundatur: præsumuntur enim narrata illa in supplicatione fuisse domino Papæ suggesta, sicque nihil probant. Quin etiam, licet summus Pontifex scienter excommunicato participet litteris, verbo, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse dicat se per hoc velle ipsum absolvere, text. clar. Clem. *Si summus*. 4, de *Sentent. excommunicat.*

110. *Papa in rescripto Ecclesiam exemptam appellante, non idcirco hujus exemptio est probata.* — Deinde, si Pontifex in aliquo privilegio, seu rescripto apostolico, non facto principaliter super donatione vel sententia exemptionis, aliquam Ecclesiam appellet



exemptam, seu ipsam ad jus et proprietatem Ecclesie Romanæ pertinere dicat, vel similia verba narret: non propterea illius Ecclesie exemptio est probata, nisi de libertate, seu exemptione aliter doceatur. Textus est expressus in c. *Si Papa*. 10. § 1, de *Privileg.* in 6.

111. *Et si quempiam sub titulo cujuslibet dignitatis nominet, etc., non per hoc in dignitate illa ipsum approbare intelligitur.* — Uterius, si Papa quempiam « sub titulo cujuslibet dignitatis, ex certa etiam scientia (multo magis, si id fiat ex ignorantia, vel per suggestionem supplicantis) verbo, constitutione, vel litteris nominet honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quidquam ei tribuere novi juris. » Ita his ipsis verbis, habetur declaratum in cit. Clem. *Si summus*. de *Privileg.* in 6. Et ratio est, quia super talibus verbis, signis vel factis, non fundatur intentio Papæ, seu talia non fiunt ad concedendam, vel approbandam dignitatem illam; sed incidenter solum similia narrantur, vel fiunt. Atque idem dicendum de similibus.

112. *Premissa procedunt etiam in imperatore, rege ac principe superiorem non recognoscete.* — Porro, quæ dicta sunt de Papa, respective procedunt etiam in imperatore, et rege superiorem in terris non recognoscete; prout resolvit Castrensis, consil. 339, vol. 1; Alexander, consil. 11, n. 14, lib. VII; Mascardus, cit. concl. 139, n. 10, ubi allegatis aliis istud ampliat ad quemlibet alium principem, qui de facto non recognoscit superiorem.

## § V.

CUI, CORAM QUIBUS, ET A QUO FACIENDA SIT PROBATIO?

113. *Probatio est facienda judici, non adversario.* — Queritur I. Cui, et coram quibus facienda sit probatio? Resp. I. Probatio est facienda judici, non adversario, vel alteri. Ita Glossa in l. *Quinquaginta*. verb. *Judici*. ff. de *Probation.*; Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 3; Mascardus, de *Probation.* quæst. 2. proœmial. n. 24; Abbas in c. *Ex litteris*, n. 1, not. 7, h. t. addens non valere probationem, si fiat notario, vel alteri; idque probans per textum ibid. juncto c. *In nostra* 32, de *Testib.* ubi depositionem testium coram iudice fieri jubentur, ut is eorum qualitate

inspecta, atque examinatis ipsorum depositis, motum animi sui rite informare valeat. Idem ergo dicendum de aliis probationibus, cit. l. *Quinquaginta* ibid: « Hæres ipse id probare iudici debebit. » Accedit ratio, quia ex una parte probatio nunquam satisfaceret adversario, utpote qui semper negaret, etiamsi quis solem ipsum ad ostendendam veritatem in manibus gereret; prout post Oldendorpium in tract. probat. loquitur Mascardus cit. n. 24. Frustra igitur ipsi facienda foret probatio. Ex altera vero parte iudicis est ferre sententiam; ergo etiam ipsi necessariae probationes fieri debent, quibus circa qualitatem causæ rite informetur.

114. *Potest tamen iudex alium deputare ad recipiendos testes.* — Cæterum per hoc non negatur, quin iudex possit deputare notarium, aut aliam idoneam personam ad recipiendos testes, depositiones, aliasque probationes. Quinimo receptio testium, confessio, ac hujusmodi, potest ubique fieri, ac scribi, sive in præsentia, sive in absentia iudicis, dummodo fiat de mandato iudicis: nam ubicumque de hujus mandato fiant, jam computantur inter acta iudicii, sicque valent; quia reputantur facta coram iudice; ex quo ipsius mandato facta sunt. Abbas in c. *Quoniam contra*. n. 29 et 30, h. t. citans Innocentium ibidem, et Hostiensem, juncta generali consuetudine, quæ est optima legum interpretis, c. *Cum dilectus*. de *Consuetudin.* cum similibus. Insuper non negatur, quin suo modo etiam ipsi adversario facienda sit probatio, saltem in tantum, quatenus omnia acritata postmodum eidem petenti tradenda sunt. c. *Quoniam contra*. 11. h. t.; Mascardus, loc. cit. n. 26, et quia ab initio ad receptionem testium, ac hujusmodi, citandus est, ut illico amplius dicetur: unde

115. *Probationes ex testium depositionibus recipi non possunt, nisi citato et præsentate, si voluerit, adversario.* — Resp. II. nihilominus probationes ex testium depositionibus recipi non possunt nisi citato, et si venire voluerit, præsentate adversario: alioquin non valent. Textus est in cap. II. de *Test.* quod per Abbatem, et alios, communiter sic sumatur: « Nulla est receptio testium facta contra non citatum. » Concordat Auth. de *Testib.* § *Et hæc vero*. collat. 7. Idque merito fuit statutum, ut hac ratione adversarius legitimas defensiones, seu exceptiones contra testes, eorumque dicta proponere valeat.

116. *Idemque dicendum de probatione per*

*instrumentum, et inspectionem ocularem.* — Atque hoc ipsum procedit in probatione, quæ fit per instrumentum: debet enim istud iudici exhiberi, citata, ac præsentate parte adversa, ut audire possit contenta in eo, c. *Contingit*. 5. de *Fide instrument.* vel illud, si oportuerit, redarguere falsitatis, c. *Accepimus*. 4 et c. *Inter dilectos*. 6. § *Sed contra eod.* Idemque dicendum de probatione per inspectionem ocularem, juxta dicta n. 22, et aliis hujusmodi: adeo, ut etiam probationes in scriptis contentæ, parti adversæ ad videndum, et respondendum communicari soleant, et debeant, juxta cit. c. *Quoniam contra*, h. t.

117. *Probationes judiciales debent fieri coram notario, inter alia acta iudicii eas conscribente.* — Queritur II. Utrum probationes necessario sint faciendæ præsentate notario? Resp. I. Probationes judiciales debent fieri iudici in præsentia publici notarii, aut duorum virorum idoneorum, qui præter cætera acta iudicii diligenter easdem conscribant. Textus est in c. *Quoniam contra*, 11, h. t. ubi ad præcavendum falsitati iniqui iudicis, atque innocentie justis, statuitur in hæc verba: « Statuimus (inquit Innocentius III. in concilio generali, seu Lateranensi) ut tam in ordinario iudicio quam extraordinario, iudex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos qui fideliter universa iudicii acta conscribant: videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, et interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, et cætera, quæ occurrerint, competenti ordine conscribenda: loca designando, tempora et personas. Et omnia sic conscripta partibus tribuantur. » Et infra: « Iudex autem, qui constitutionem ipsam neglexerit observare, si propter ejus negligentiam quid difficultatis emerserit, per superiorem iudicem animadversione debita castigetur: nec pro ipsius præsumitur processu, nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis. » Hæc ibi.

118. *Et hoc procedit tam in iudicio ordinario, quam summario. Imo et in arbitrio compromissario.* — Et quidem constitutio hujus decretalis, quæ jus novum inducebat (uti desumitur ex verbo *Statuimus* juncta Glossa in c. *Statuimus*, ut is. 13, de *Offic. delegat.* in 6. et late propugnat Barbosa in collectan. ad

cit. c. *Quoniam contra*. n. 9.) procedit tam in iudicio ordinario, quam summario, et sive agatur coram iudice ordinario, sive delegato, ac sive procedatur per viam accusationis, denuntiationis, vel inquisitionis: nam in omnibus istis casibus publicus notarius, aut in ejus defectum alii duo viri idonei intervenire debent, qui omnia acta iudicii, ut supra, fideliter conscribant. Quinimo hoc etiam extenditur ad arbitros compromissarios: quia procedunt ad similitudinem iudicum et ordinem ac formam iudiciorum servare debent, l. I. ff. de *Receptis arbitris*. juncta Glossa un. ibid.; Abbas in cit. c. *Quoniam contra*. n. 7, et Barbosa ibid. n. 6, et Pirhing n. 64, h. t. Alioquin suborta quadam controversia super actis judicialibus, non crederetur iudicis assertioni, ne daretur ipsi occasio lædendi partes litigantes; uti habetur in textu jam relato.

119. *Excipiuntur hinc causæ leviores, utpote in quibus nulla scriptura requiritur.* — Resp. II. Nihilominus hinc excipiuntur causæ modicæ, ac leviores: in his enim nulla scriptura requiritur nec respectu processus, nec respectu sententiæ, sed statim simplici assertioni iudicis. Ita textus notabilis in Auth. *Nisi breviores*. c. de *Sentent. ex brevicul. recitand.* et Auth. *Ut iudices sine quoquo suffragio*. § *Necessitatem*. collat. 2, ac notat Abbas, loc. cit. n. 3, et Pirhing d. n. 64, et Barbosa n. 7, allegans alios. Nec immerito; nam si in istis modicis creditur relationi nuntii, l. *Ea quidem*. c. de *Accusation.* et c. *Cum parati*. 19. juncta Glossa verb. *Suus nuntius*. de *Appellat.* fortius in hisce levioribus est credendum assertioni iudicis. Huc facit textus in can. *Si quis cum Clerico*. 11, quæst. 1.

120. *Vel si per confessionem partium, aut testes, possint acta probari.* — Deinde etiam de cæteris causis loquendo, licet omissio scripturæ, seu annotationis actorum, juxta cit. c. *Quoniam contra*. h. t. per notarium faciendæ, vitiet processum in tantum, ut pro ipso non præsumatur, si pars altera negaverit, quidpiam ex requisitis fuisse observatum: nihilominus statim processui, si per confessionem partium, vel per legitimos testes, aut alio modo probari possit, factam v. g. esse contestationem litis, et alia substantialia rite observata fuisse. Desumitur hoc ex cit. c. *Quoniam contra*, h. t. ibi: « Nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis: et notat Abbas n. 38, post Innocentium.